



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

254. feria 3. Quomodo Christus D. eâ excelluerit in usu charitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

454 *Feria 2. Domin. 12 post Pentecost.*

incipiendas, sine ulla spiritus anxietate paragendas, magnâ spiritus tranquillitate perficiendas esse. 10. Negotiorum multitudinem, quæ vires corporales, aut spirituales excedant, nequaquam admittendas; non plus filiorum, quam lactis, non plus negotiorum, quam virium. 11. Orationi, & contemplationi semper insistendum, ne orationis tempora ulla mihi negotia surripiant. 2. Hæc demum sit iugis occupatio, Deum aut extra me, aut intra me præsentem intueri, & puris desiderijs, ardentibus alloquijs, & ignitis amoris affectibus ad eum aspirare.

MEDITATIO CCLIV.

Feria 3. Domin. 12 post Pentecost.

*Quomodo Christus D. excelluerit
in usu charitatu.*

Videbo Angelos ad pedes Domini **JESU** procidentem, præ admiratione dilectionis eius, erga Deum Patrem, & nos. Petam infinitam Christi in Deum, & nos charitatem assequi.

Conf. 1. Charitatem Christi in **DEUM**, quando se obtulit à quadraginta diebus **DEO** Patri in templo. Quando dixit se in **ijs** esse debere, quæ sunt Patris. Quando zelabat pro domo Patris. Quando speciale
aliquid

Feria 3. Domin. 12. post Pentecost. 455

aliquid facturum primum coelos suspiciebat. Ipse denique dixit, cibum suum esse, facere voluntatem Patris semper.

Conf. 2. Infinitam charitatem Christi erga nos; quia nobis natus, datus, nobis vixit, laboravit, passus est, & pro nobis animam suam dedit, quâ charitate non datur major.

Conf. 3. Charitatem Christi erga inimicos. Fugit in Aegyptum, ut inimicis suis beneficeret. Arguit vindictam volentes contra Samaritanos: Quia venit ignem charitatis mittere. Accipit osculum a Iuda. Satiatur opprobrijs, orat pro inimicis, idemque nobis suadet, & nomen Dei Filij promittit.

MEDITATIO CCLV.

Feria 4. Domin. 12. post Pentecost.

De fructibus perfecta dilectionis.

Svipiciam fructus duodecim perfectę dilectionis, dulces eos habenti. Petam eos assequi.

Conf. 1. Fructum perfectionis 1. qui est puritas mentium: perfecta enim charitas, perfecta lux pellit & mortalium tenebras, & venialium umbras. 2. Fructus est abjectio temporalium: charitas enim perfecta plenus thesaurus omnes mentis recessus implet. 3. Quies appetituum: perfecta enim charitas prudentissimus gubernator rempublicam nostram